VII

JOSEPHUS ALOJSIUS PUKALSKI

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA

EPISCOPUS TARNOVIENSIS

Solio Pontificio Assistens, Ordinum c. r. Austriacorum: Coronæ ferreæ Classis II. Eques et Francisci Josephi Comthur,

Membrum Statuum Regni, Præses Commiss. pauperum &c.

Venerabili Clero Diœcesano tam sæculari, quam regulari salutem et benedictionem!

In Encyclica SS. Papæ Pii IX. de 8. Dec. 1864. quam in Currenda III. a. c. imprimendam curavimus, Venerabiles Fratres in Christo! legistis de Jubilæo clementissime Nobis pro 1. mense concesso haec verba: „His igitur Litteris (Encyclica) Auctorite Nostra Apostolica omnibus et singulis utriusque sexus catholici orbis fidelibus *Plenariam Indulgentiam ad instar Jubilæi* concedimus intra *unius tantum mensis spatium* usque ad totum futurum annum 1865 et non ultra. a Vobis, Venerabiles Fratres, aliisque legitimis locorum Ordinariis statuendum, *eodem prorsus modo et forma*, qua ab initio supremi Nostri Pontificatus concessimus per Apostolicas Nostras Litteras in forma **Brevis** die 20 mensis Novembris anno 1846 datas et ad universum episcopalem vestrum Ordinem missas, quarum initium „Arcano divinæ Providentiæ consilio“ et cum omnibus eisdem facultatibus, quae per ipsas Litteras a Nobis datae fuerunt. Volumus tamen, ut ea omnia serventur, quae in commemoratis Litteris præscripta sunt et ea excipiantur, quæ excepta esse declaravimus. Atque id concedimus, non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque, etiam speciali et individua mentione ac derogatione dignis. Ut autem omnis dubitatio et difficultas amoveatur, earumdem *Litterarum exemplar* ad Vos perferri jussimus.“

Hocce Brevis exemplar nunc primum ad Manus Venerabilis Cleri pertingere facimus. in sequentibus:

„Universis Christifidelibus præsentes litteras Inspecturis salutem et Apostolicam benedictionem.

Arcano divinæ Providentiæ consilio ad Apostolicæ Sedis fastigium nil tale merentes evecti, probe novimus, in quantas inciderimus rerum ac temporum difficultates, ut divino subsidio maximopere indigeamus ad arcendas a dominico grege ubique latentes insidias, ad Catholicæ Ecclesiæ res pro Nostri muneris officio relevandas, componendas. Quapropter assiduis huc usque precibus non destitimus obsecrare Misericordiarum Patrem, ut infirmas Nostras vires sua virtute roborare, et lumine sapientiæ suæ mentem Nostram illustrare velit, quo commissum Nobis Apostolicum Ministerium rei Christianæ universæ bene ac feliciter eveniat, et compositis tandem fluctibus Ecclesiæ navis a diuturna tempestatis jactatione conquiescat. Quoniam vero, quod commune bonum est, id communibus etiam votis postulandum, omnium Christifidelium excitare pietatem decrevimus, ut conjunctis Nobiscum precibus Omnipotentis dexteræ auxilium impensius imploremus. Atqui exploratum illud est, gratiores Deo futuras hominum preces, si *mundo* corde, hoc est animis ab omni scelere *integris* ad ipsum accedant, idcirco sequuti etiam exemplum Prædecessorum Nostrorum, qui in Pontificatus primordiis idipsum præstiterunt, cælestes Indulgentiarum *thesauros* dispensationi Nostræ commissos Apostolica liberalitate Christifidelibus reserare constituimus, ut inde ad veram pietatem vehementius incensi, et per Pœnitentiæ Sacramentum a peccatorum maculis expiati ad Thronum Dei fidentius accedant, ejusque misericordiam consequantur, et gratiam inveniant in auxilio opportuno.

Hoc Nos consilio Indulgentiam ad *instar Jubilæi* Orbi Catholico denunciamus. Quamobrem de Omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi ex illa ligandi ac solvendi potestate, quam Nobis Dominus licet indignis contulit, universis ac singulis utriusque sexus Christifidelibus, in alma Urbe Nostra degentibus, vel ad eam advenientibus, qui Sancti Joannis in Laterano, Principis Apostolorum, et Sanctæ Mariæ Majoris Basilicas, vel earum aliquam a secunda Dominica Adventus nimirum a die sexta Decembris inclusive, usque ad diem vicesimam septimam ejusdem mensis pariter inclusive, quæ est dies festa Sancti Joannis Apostoli *bis visitaverint* intra *tres**) illas hebdomadas, ibique per aliquod temporis spatium devote oraverint, ac *quarta*, et *sexta feria*, et *Sabbato* unius ex dictis hebdomadibus *jejunaverint*, et intra easdem hebdomadas peccata sua *confessi*, Sanctissimum *Eucharistiæ* Sacramentum reverenter susceperint, et *pauperibus* aliquam eleemosynam, prout unicuique devotio suggeret, erogaverint, ceteris vero extra Urbem prædictam ubicumque degentibus, qui *Ecclesias* ab Ordinariis locorum, vel eorum Vicariis, seu Officialibus, aut de illorum mandato, et ipsis deficientibus, per eos, qui ibi curam animarum exercent, postquam ad illorum notitiam hae Nostræ pervenerint, *designandas*, vel earum *aliquam* spatio *trium***) similiter hebdo-

---

*) modo intra quatuor.

**) nunc quatuor.

quibuscumque. Ut autem praesentes Nostrae, quae ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus, ut praesentium transumptis, vel exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis et sigillo personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, ubicumque locorum, et gentium eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die XX mensis novembris anno MDCCCXLVI pontificatus Nostri anno primo. A. Card. Lambruschini."

E tenore harum Litterarum haurire valet Venerabilis Clerus desuper convictionem, quantae facultates Nobis ad perficiendum hocce salutis opus concessæ et quæ conditiones pro lucrando thesauro tanto præscriptae sint.

His igitur Litteris Apostolicis nixi in Domino statuimus, &c. ut:

1) Jubilæum hocce inchoetur a 4 Jun. quæ est Dominica Pentecostes et finiatur 2. Jul. 1865, quae erit Dom. IV. post Pent. seu Visitatio B. M. V. qui terminus, pluribus gaudens festis Ecclesiæ nostrae celeberrimis, acceptissimus sit tam Ven. Clero, quam populo fideli.. intergresso nimirum aliquo spatio quietis a fatigio in Confessionali et a laboribus circa inseminationem et plantationem terminatis &c.

2) Jubilæum idem duabus Dominicis præcedentibus: Dominica V. et VI. post Pascha e suggestu publicetur, Litteraeque Nostræ polon. idiomate impressae heic ⁒. allegatae (quoad nonnullas partes in pagis, quas populo accomodatas esse censuerint P. T. animarum Rectores) perlegantur, insuper instructio de Jubilæi indole utilitateve, ducibus his Litteris lat. et pol. nec non libellis catenus annis 1851. et 1854. &c. editis &c. propinetur, ut populus ac juventus, praeprimis scholaris, ad tempus ejusmodi publicae pœnitentiae et indulgentiae condigne praeparetur. Exemplar memoratarum Litterarum duplex cuilibet V. Presbytero mittitur, ut unum Aulis &c. concedere valeat. Praeterea certus numerus libellorum sub titulo: Krótka Nauka i Nabożeństwo Jubileuszowe, inter populares divendendorum, quibus devotio quæstionis augeatur, ad hanc Allocutionem Nostram allegatur.

3) Isthoc pridie, Vigilia Pentecostes, vespere, saltem per unum horæ quadrantem, pulsu omnium campanarum, totidem clangorum ecclesiae, invitantium ad novum pœnitentiæ et indulgentiæ stadium.. sollenniter annuncietur, eodemque modo, 2. Jul. in Visitatione B. M. V. pulsu campanarum ad: Te Deum laudamus, post Suplicationes in Vesperis et post Processionem cum Sanctissimo decantandum, cui subjungatur oratio pro gratiarum actione: Deus, cujus misericordiae non est numerus &c. &c. finiatur.

4) Ipso primo Jubilaei die, i. e. Dominica Pentecostes, ante primam Missam., invocetur Spiritus s. hymno: Veni Creator... ubi autem unus tantum sacerdos, ille hymnus sufficiat, qui de Paraclito in medio templi post processionem ante Summam cantatur.

5) Durante Jubilæo in omnibus Missis, exceptis pro festis I. et II. Classis **Collectae** 3: de remissione peccatorum, contra persecutores Ecclesiæ et pro Papa sumantur, et ter per hebdomadem, excepta hebdomade Corporis Christi, Sanctissimum in Pixide, videlicet fer. IV. VI. et Sab. pro tempore Missæ, sub decantatione hymni: Święty, Święty &c. si pro Eucharistiae adoratione sufficiens parochianorum numerus adfuerit, aut nullum aliud impedimentum intercesserit, exponatur.... post quam Orationes in libello: Krótka Nauka i Nabożeństwo Jubileuszowe.. contentæ clara et lenta voce recitentur, dein Supplicationes consuetæ: Święty Boże &c. decantentur &c.

Quodsi concursus pœnitentium requireret Confessarium magis, quam Orationum assignatarum recitatorem, Organarius vel Senior Confraternitatis, vel alius cum clara voce ad earum cum populo recitationem deputetur.

Instructiones ad captum compositæ intra Jubilæum de variis declamentur, quibus populus ad pœnitentiam, resipiscentiam, charitatem proximi et communitatis, præprimis nunc in campis, pratis, hortis aut silvis, custodiam substantiæ Cleri et ecclesiæ circa obitum, laborem et conscientiosam suî et proximi boni terrestris administrationem, restitutionem ablatorum, bonæ famæ, castitatem, mansuetudinem cum domesticis et vicinis, patientiam in arduis, perseverantiam in voto sobrietatis, ad venerationem et obedientiam utrique Potestati ac Præpositis, &c. &c. flectatur.

Demum post Vesperas pro conclusione, Dom. IV post Pentec. solemnis dicatur sermo e rostro sacro.

6) Conditiones lucrandi tantum Jubilæi thesaurum fidelibus distincte annuntientur, nimirum Orationes, cum visitatione ecclesiarum, jejunium ter in una hebdomadum et eleemosyna, confessio et Communio s. &c. de quibus tum Litterae Pastorales Nostræ polonæ, jam libellus citatus uberius disserunt. Litteris videlicet illis conformiter tres aut pauciores Ecclesiae designandae sunt, quae bis visitandæ forent.. pro devotione. In qua ergo Parochia duo existunt templa, ea qua talia designentur. Tarnoviae hunc in finem assignamus Ecclesiam Cathedralem et PP. Bernardinorum; has bis aut ter pro lucrandis indulgentiis visitent fideles.. diebus ferialibus, ut sequitur; ubi una tantum prostat ecclesia, parochialis aut filialis. quam lucraturi Indulgentias has visitent quater aut sexies, prout tempus permiserit, sub devotione feriis IV. VI. et Sab. cum expositione, aut sub alia Missa, verum semper in aliqua feria, et ibidem orationes e libello illo aut una cum Celebrante, fervide recitent, Supplicationesque devote canant. Quodsi quis semel tantum, in aliqua feria, adire valeret Ecclesiam suam, tunc visitet 3 stationes, seu Altaria a respectivis Parochis designatas, ibique ante Majus Altare ceu Stationem 1^mam^ Orationes illas e libello ad Patrem Misericordiarum cum affectu mittat, ad 2^dam^ et 3^tiam^ Stationem, seu Altare vel Figuras Sanctorum Litanias adaequatas ac supplicationes persolvat; rursus illi, qui legendi arte destituuntur, saltem 5 Pater.. 5 Ave Maria... et unum Credo ad intentionem sanctae Matris Ecclesiae enixissime depromant, supplicationesque addant.. Si autem ex occasione tot festorum peregrinari quis solus aut cum aliis processionaliter mallet ad locum indulgentiarum aliquem, hoc in casu si in propria parochiali Ecclesia praevie eodem die perageret stationem 1^mam^, in ecclesia vero, ad quam tenderet, 2^dam^, et redux in via ad aliquam Capellam aut Figuram SS. vel in Ecclesia paroch. 3^tiam^, ibique devotionem supra attactam persolveret, hanc peregrinationem seu processionem reputamus pro una visitatione trium templorum Jubilaea.

madarum per eosdem una cum Ecclesiis stabiliendarum *bis* visitaverint, aliaque *recensita* opera *devote peregerint, plenissimam* omnium peccatorum *Indulgentiam,* sicut in anno Jubilæi visitantibus certas Ecclesias intra, et extra Urbem prædictam concedi consuevit, tenore præsentium concedimus atque indulgemus.

Concedimus etiam, ut *navigantes,* atque *iter agentes* quum primum ad sua se domicilia receperint, operibus suprascriptis peractis, et *bis* visitata Ecclesia Cathedrali, vel Majori, vel *propria Parochiali* loci ipsorum domicilii, *eamdem* Indulgentiam consequi possint et valeant. *Regularibus* vero personis utriusque sexus etiam in claustris perpetuo degentibus, nec non aliis quibuscumque tam laicis, quam sæcularibus, vel regularibus in carcere aut captivitate existentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio quocumque impedimento detentis, qui memorata opera, vel eorum aliqua præstare nequiverint, ut illa Confessarius ex actu approbatis a locorum Ordinariis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque injungere, quæ ipsi pœnitentes efficere possint... cum facultate etiam dispensandi super Communione cum pueris, qui nondum ad *primam Communionem* admissi fuerint, pariter concedimus atque indulgemus.

Insuper omnibus et singulis Christifidelibus Sæcularibus, et Regularibus cujusvis Ordinis et Instituti, etiam specialiter nominandi, licentiam concedimus, et facultatem, ut sibi ad hunc effectum eligere possint *quemcumque Presbyterum* Confessarium tam Saecularem, quam Regularem ex actu approbatis a locorum Ordinariis (qua facultate uti possint, etiam Moniales, Novitiæ, aliaeque mulieres intra claustra degentes, dummodo Confessarius *approbatus sit pro Monialibus*), qui eos ab excommunicationis, suspensionis, aliisque Ecclesiasticis sententiis, et censuris a jure vel ab homine quavis de causa latis, vel inflictis præter infra exceptas, nec non ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus, et delictis quantumvis gravibus et enormibus, etiam locorum Ordinariis, sive Nobis, et Sedi Apostolicæ speciali licet forma reservatis, et quorum absolutio alias quantumvis ampla non intelligeretur concessa, in foro conscientiæ, et hac vice tantum absolvere, et liberare valeant; et insuper vota quæcumque etiam jurata, et Sedi Apostolicae reservata (castitatis, religionis, et obligationis, quae a tertio acceptata fuerit, seu in quibus agatur de praejudicio tertii semper exceptis, quatenus ea vota sint perfecta et absoluta nec non *poenalibus* *) quae praeservativa a peccatis nuncupantur, nisi commutatio futura judicetur ejusmodi, ut non minus a peccato committendo refraenet, quam prior voti materia) in alia pia et salutaria opera dispensando commutare, injuncta tamen eis, et eorum cuilibet in supradictis omnibus poenitentia salutari, aliisque ejusdem Confessarii arbitrio injungendis.

Concedimus insuper facultatem dispensandi super irregularitate ex violatione Censurarum contracta, quatenus ad forum externum non sit deducta, vel de facili deducenda. Non in-

---

*) **Ad talia referimus vota abstinentiae a cremato.**

tendimus autem per præsentes super alia quavis irregularitate sive ex delicto, sive ex defectu, vel publica, vel occulta, aut nota, aliaque incapacitate, aut inhabilitate quoquomodo contracta dispensare, vel aliquam facultatem tribuere super præmissis dispensandi, seu habilitandi, et in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiæ, neque etiam derogare Constitutioni cum appositis declarationibus editæ a fel. rec. Benedicto XIV Prædecessore Nostro *„Sacramentum Poenitentiae"* quod *inhabilitatem absolvendi complicem*, et *quoad obligationem denunciationis*, neque easdem præsentes iis, qui a Nobis, et Apostolica Sede, vel aliquo Prælato, seu Judice Ecclesiastico nominatim excommunicati, suspensi, interdicti; seu alias in sententias, et censuras incidisse declarati, vel publice denunciati fuerint, nisi intra tempus dictarum *trium *)* hebdomadarum satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse aut debere. Quod si intra præfinitum terminum judicio Confessarii satisfacere non potuerint, absolvi posse concedimus in foro conscientiæ ad effectum dumtaxat assequendi Indulgentias Jubilæi, injuncta obligatione satisfaciendi statim ac poterunt.

Quapropter in virtute sanctæ obedientiæ tenore praesentium districte praecipimus, atque mandamus omnibus, et quibuscumque Ordinariis locorum ubicumque existentibus, eorumque Vicariis, et Officialibus, vel ipsis deficientibus, illis, qui curam animarum exercent, ut cum præsentium Litterarum transumpta, aut exempla etiam impressa acceperint, illa, ubi primum pro temporum, ac locorum ratione satius in Domino censuerint, per suas Ecclesias ac Diœceses, Provincias, Civitates, Oppida, Terras, et loca publicent, vel publicari faciant, populisque etiam Verbi Dei praedicatione, quoad fieri possit, rite praeparatis, Ecclesiam, seu Ecclesias visitandas, ac tempus pro praesenti Jubilaeo designent.

Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, praesertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes, vel dissimiles Indulgentiarum, et facultatum hujusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio, aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari possint, nec non regula de non concedendis Indulgentiis ad instar, ac quorumcumque Ordinum, et Congregationum, sive Institutorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et Litteris Apostolicis eisdem Ordinibus, Congregationibus, et Institutis illorumque personis quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis, quibus omnibus, et singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu alia quaevis expressio habenda, aut alia aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis, ac formam in iis traditam pro servata habentes, hac vice specialiter, nominatim, et expresse ad effectum praemissorum, derogamus, ceterisque contrariis

---

*) modo 4.

In Ecclesiis claustralibus devotio eadem feriis IV. VI. et Sab. Jubilaea, excepta hebdomade Corporis Christi celebretur, sub qua et populus et Religiosi aut Moniales absolvant preces supra expressas... fine consequendi gratiam indulgentiarum.

Quoad jejunium strictum, Breve Apostolicum assignat tres dies, feriam IV. VI. et Sab. intra unam illarum 4 hebdomadum.. Vigiles disciplinae ecclesiasticae Custodes inculcabunt, ut illam hebdomadem Parochiani pro hocce pio castigationis exercitio eligant, sub qua nullum occurit jejunium, aut illos dies, quibus aut e voto, Confraternitate, aut pœnitentia jejunare non tenentur.

7) Eleemosyna prout pietas suggesserit, elargiatur. Quoniam aerarium Pontificium nimis arctatur, fideles ad succurendum eidem excitentur quoque; demum terminato Jubilaeo, quotae collectae ad Nos via consueta.. promoveantur.

8) Confessarii a Nobis vel a suis Ordinariis approbati e vicina Diœcesi, ad juvamen nunc invitati, utantur amplissimis facultatibus in Brevi Apostolico praelibato expressis... procedendi nimirum cum infirmis, incarceratis, absentibus, infantibus ad communionem nedum maturis., absolvendi ab omnibus peccatis, reservatis quoque Sedi Romanae aut Episcopali; etiam Moniales, Novitias, aliasque mulieres intra Claustri muros degentes, dummodo Confessarius approbatus fuerit pro Monialibus; excepto tamen casu absolvendi complicem, aut renuentem denunciare solicitantem Conf. ad turpia... a censuris &c. vota demum privata etiam jurata.. praeter votum castitatis, religionis i. e. ingrediendi in ordinem religiosum, et obligationis a tertio acceptatae ac vota pœnalia, ad quod refertur votum abstinentiae a cremato, in alia pia opera dispensando commutandi &c. &c. de quibus iterum atque iterum relegatur tenor praelaudatarum Litterarum Apostolicarum.. Ad hanc votorum pœnalium classem vota totalis abstinentiae a cremato, vel temperantiae seu moderati ejus usus, omnino pertinere censentur; commutatio horum in alia, quae ita ut illa, a peccato ebrietatis praeservent, vix ac ne vix quidem absque salutis periculo, concedi potest; quare nulli Confessariorum tribuitur facultas, vota haecce abstinentiae relaxandi vel dispensando commutandi, ne propterea ansa liberius peccandi praebeatur. Votum nonnisi temperantiae in votum totalis abstinentiae a cremato, utpote perfectius commutari licet.

Cum occasione hujus Jubilæi fontes aquæ vivæ, thesaurique cœlestes apperiantur, profecto, Fratres Dilectissimi! meminisse oportet, nos legatione pro Christo fungi ac zelantissime vigilare debere tanquam rationem reddituri pro animabus concreditis, quapropter exponite Carissimi! populo fideli turpitudinem peccati et præsertim mortalis, per quod in duo mala illabimur, scilicet in malum culpæ, qua avertimur a summo bono, privamurque gratia sanctificante, amore et amicitia Dei et in malum seu in reatum pœnæ æternæ, quod Sacramento pœnitentiæ quidem deletur, verum teste historia sac. et ecclesiastica pœnæ temporales pro æternis, dimissa licet culpa, jam a Deo, jam ab Ecclesia inflictæ erant, et Can. XXX. Conc. Trident. Ses. VI. statuitur, quod post acceptam justificationis gratiam remanet reatus pœnae temporalis exsolvendae vel in hoc saeculo vel in futuro in purgatorio... quum etiam peccato veniali contrahamus culpam etsi leviorem, gratia sanctificante nequaquam privantem; contrahamusque reatum pœnae temporalis tali deordinationi debitae, quae item solvenda est sive in hac vita, sufferendo patienter aerumnas, infortunia, persecutiones, jejunia &c. &c. sive residuum,

si vita quamvis longissima non sufficiat et quando sufficeret, si nova veteribus accumulentur peccatis!? in Purgatorio luendum... ast horrendum est incidere in manus Dei viventis. Heb. X. 31. amarissimumque persentiscere pœnas. Quo ex titulo annuntient animarum Curatores.. indulgentias esse remissiones pænae temporalis pro actualibus peccatis debitae, de thesauro Ecclesiae dispensatione promanantes. a Romanis Pontificibus concessas &c. &c.

9) Demum VV. Parochi de resultato laborum suorum m. Julio a. c. ad resp. Perillust. Decanum referent, qui generalem desuper Relationem ad Nos pertingere faciet.

Ne Venerabiles Fratres! in vacuum gratiam Dei (H. Cor. VI. 1.) quam Ecclesia de meritis D. N. J. C. infinitis, de meritis B. Mariae semper Virginis et omnium Sanctorum universo Catholico orbi apperuit, recipiatis; cum Deus tempore accepto nos exauditurus et die salutis nos adjuturus sit, profecto hoc tempore acceptabili cum dies salutis advenere, suspirantes levate oculos Vestros et videte regiones, quia albae sunt jam ad messem, (Joan. IV. 35. metite illas verbo Dei, administratione Sacramentorum, vel maxime nunc sacris confessionibus, pro quarum excipiendis rursus diligenter assidebitis in Tribunali, zelo in paragendis officiis circa animarum salutem, fervidis suspiriis... ut omnes Christo lucri faciatis et Ipsi mercedem largam in vitam aeternam colligatis.

Ante omnia vero Fratres in Christo! Vosmet ipsos sanctificate, ne forte, dum aliis prædicaveritis, ipsi reprobi efficiamini (I. Cor. IX. 27. potius fiatis in omnibus forma gregis... qui Vestræ pietatis exemplo ædificetur; luce fidei Vestræ in fide obfirmetur, spe Vestra in sua spe erigatur, ac zelo Vestro ad charitatem Dei inflammetur.....

Has igitur Commilitones Nostri! agite partes, ut omnes consequamini bona ex gratia et benignitate D. N. Jesu Christi, qui cum Patri gloria, unaque Spiritui S. regnat nunc et semper et in sæcula sæculorum.. Amen.

Dabamus Tarnoviæ 23. April. 1865.

Josephus Alojsius,

Episcopus.

Typis Anastasii Rusinowski Tarnoviæ, 1865.